



Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Malitiosus quis dicatur: & quando malitia sit vitiosa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

alio maleficio, est peccatum mortale: quia nulla ratione licitum est inducere hominem quantumcumque paratum, ad offendendū Deum. Nec habet locum in proposito distinctio inter inducere ad peccandum, & ut iniquitate alterius parati ad peccandum, ut distinguitur in usurā, & in iuramento infideliū: quoniam illa distinctio non habet locū nisi in illis in quibus actio petita potest ab illo parato fieri sine peccato si vult: & ex iniquitate sua prouenit quod apparet ipse peccatum, tunc enim petens petit opus bonum: sed quia illa à quo petitur, non vult nisi cū peccato efficeret, ideo petens vtitur iniquitate parati, & non cōmunicat peccato illius. Verbi gratia: petens mutuum ab usurario, petit opus bonum, scilicet mutuum: quod usurarius si vellet possit sine peccato cōcedere, & similiter petens iuramentum ab infideli, petit opus religionis sanctum, scilicet iurare, quod idololatra potest si vult sine peccato concedere, recognoscendo verum Deum, & per illum iurando. In proposito autē petitur à malefico ut soluat maleficium, quod ille non potest etiā si vult præstare sine peccato. Et propter ea conuincitur quis quod petit peccatum, & inducit paratum ad peccandum, digni autem sunt morte (inquit Apostolus) non solum qui faciunt, sed etiā qui consentiunt facientibus. Si autem maleficus sciret maleficium factum consistere in laqueo ibi alligato, nullū peccatum esset rogare, ut solueret illā alligaturā: quia hic nulla interuenit dæmoniaca opera, sed humana tantum actio, quam quilibet aliis posset efficeret si sciret ubi esset illa alligatio.

Malitiosus quis dicatur: & quando malitia sit vitiosa.

Malitia peccatum est generale, quo homo ex sola intentione mali eligit malum. Hinc enim distin-

B b 4 guendg

guendo peccantes ex malitia vel infirmitate , vel ex
malo v̄su, excusamus illos, qui ex passione aut v̄su,
aut imprudentia peccant aggrauantes eos qui non
nisi qua intendunt malum, eligunt peccare, sunt enim
pessimi in quocumque genere peccent: difficile enim
videtur corrigi posse. Contingit tamen propter im-
perfectionem actus esse veniale peccatum ex mali-
tia: ut si quis vana mendacia eligit dicere ex intentio-
ne huius mali quod est vanè mentiri, & nō propter
aliud. Est siquidem imperfectio actus ex parte mali,
quia non est malum perniciosum.

*Contractus matrimonij potest ex septem
capitibus dici vitiosus.*

Matrimonium tum ad peccata quae in illius con-
tractu interueniunt , tractandum est primò:
deinde de peccatis quae in illius v̄su occurruunt . In
contrahendo igitur matrimonium per verba de præ-
senti , potest ex septem capitibus peccatum incurri.
Primò, agendo contra impedimenta dirimentia. Se-
cundò, contra impedimenta non dirimentia. Tertiò,
contra modū. Quartò, contra intentionē sacramēti.
Quinto ex intentione finis mali. Sexto ex præposte-
ra intentione finis. Septimò, ex indignitate personæ.

Quantum ad primum, impedimenta dirimentia
continentur in his versibus: Error, conditio, votum,
cognatio, crimen: Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen
honestas: Si sis affinis, si forte coire nequibus. Hæc so-
cianda vetant connubia, facta retractant : Quorum
summaria explanatio est.

Primum impedimentum est error circa substantiam
personæ: puta intendit quis contrahere cum primo-
genita, & supponitur alia, erratur ibi in persona. Sed
si erretur in qualitate (puta quia non est bona , aut
diues, aut sana &c. ut ei dicebatur) non suffragatur.

Secundo